

M. TERENTI VARRONIS
RERVM RVSTICARVM DE AGRI CVLTVRA
LIBER PRIMVS

Otium si essem consecutus, Fundania, commodius I
5 tibi haec scriberem, quae nunc, ut potero, exponam
cogitans esse properandum, quod, ut dicitur, si est
homo bulla, eo magis senex. annus enim octogesi-
mus admonet me ut sarcinas conligam, antequam pro-
fliciscar e vita. quare, quoniam emisti fundum, quem 2
10 bene colendo fructuosum cum facere velis, meque ut
id mihi habeam curare roges, experiar; et non solum,
ut ipse quaad vivam, quid fieri oporteat ut te mo-
neam, sed etiam post mortem. neque patiar Sibyllam 3
non solum cecinisse quae, dum viveret, prodessent
15 hominibus, sed etiam quae cum perisset ipsa, et id
etiam ignotissimis quoque hominibus; ad cuius libros
tot annis post publice solemus redire, cum desidera-
mus, quid faciendum sit nobis ex aliquo portento:
me, ne dum vivo quidem, necessariis meis quod prosit
20 facere. quocirca scribam tibi tres libros indices, ad 4
quos revertare, siqua in re quaeres, quem ad modum
quidque te in colendo oporteat facere. et quoniam,
ut aiunt, dei facientes adiuvant, prius invocabo eos,
nec, ut Homerus et Ennius, Musas, sed duodecim deos
25 Consentis; neque tamen eos urbanos, quorum imagines
ad forum auratae stant, sex mares et feminae toti-
dem, sed illos XII deos, qui maxime agricolarum duces

4 P. OTIVS (*unde* Otium si *Politianus*; Si otium *corrector*
cod. Flor.) || 11 curae *Ursinus* || 19* || 27 agricultarum ||